



**Rvperti Ab||batis Monasterii || Tvtiensis Ordinis S.  
Benedicti The||ologi antiqui, Opera duo, ut egregia sanè,  
ita diu desiderata, multoq[ue] || labore perquisita, ac  
sumptu haud ita modico ...**

**Rupert <von Deutz>**

**Colonia, M. D. XXVI.**

**VD16 R 3796**

De die illo quem determinauit spiritus sanctus in Dauid, dicendo: hodie si  
uoce[m] eius audieritis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71860](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-71860)

Deo, emundauit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruendum deo uiuenti. ¶ Adde, quod ibidem Baptista Iohannes, ubi testimonium perhibuit dicens: quia uidi Iohannem spiritum sanctum descendenter de celo quasi columbam & mansit super eum: tali uoce, talique iudicio mansuetudinem eius praedicauit: Ecce agnus dei, qui tollit peccata mundi. Denique in sacrificio domini, sacrificio odoris suauissimi, eadem mansuetudo agni, quam sum plicitas columbae, mystice significat innocentiam & pietatem Christi filii dei.

**B**e die illo quem determinauit spiritus sanctus in David, dicendo:

Caput XI.

Hodie si uocem eius audieritis.



X tunc dies ille est bona auditionis, dies uocis audiendi in lenitate fidei, quem spiritus sanctus determinauit in David, et populus modo meminit. Quapropter sicut dicit spiritus sanctus: Hodie si uocem eius audieritis, nolite obdurare corda uestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto.

Psalm. 94.  
Vox chriſti ul  
cis, uox turtu  
ris Luc. 4

¶ O uox dulcis & suauis uox dilectionis & gratiae, uox turturis & columbae, quam apud Lucam, taliter cepimus audire. Regressus in uirtute spiritus in Galileam, cum uenisset Nazareth, & intrasset in synagogam, & traditus esset sibi liber Prophetae Esaiae, loquitur cumque hunc statim inuenisset: spiritus domini super me, propter quod unxit me, euangelizare pauperibus misit me, praedicare captiuis remissionem, praedicare annum dominicae pietatis, & diem retributionis. Hodie (inquit) impleta est haec scriptura in auribus uestris. Ab ista uoce debent corda nostra hodie mollescere siue mitescere: hodie inquam, id est, alio die, qui alias est ab illo die, quo exiuit Israhel de Aegypto per mare rubrum, & per quadraginta annos tentauerunt, atque exacerbaverunt spiritum sanctum in deserto. ¶ Nunquid non hoc uidit Iohannes Baptista, qui in initio diei huius uides ad se Iesum uenientem, dixit (ut supra meminimus) Ecce agnus dei! Denique talis eius dictio talem nobis sensum efficit. Ecce cuius in figura immolatus est agnus in Aegypto, sumptu sanguine qui erat in limine & posito in superliminari & super utrumque postem, ut figuram crucis exprimeret, factumque est phase, id est, transitus: transiuit enim dominus per Aegyptum, Aegyptios percutiens, & filios Israhel saluans. ¶ Nunc alia percutietur Aegyptus, & aliud mare diuidetur, & aliud manna de celo dabitur, & alia petra sitionibus alias dabit aquas, & in aliam terram intrabitur, & alia civitas Hierusalem inhabebit, & omnia in nouum restituentur, dicente isto, qui spiritu sancto baptizat, ecce noua facio omnia. Igitur dies sancte nouitatis tunc illuxit. quod desuper in columbae specie apparente spiritu pietatis, Pontifex declaratus est Christus filius dei: Pontifex (inquam) ipse, & hostia & templum, ex tunc optime ornatum (ut supra diximus) secundum figuram templi illius manufacti, auro uidelicet non corruptibili, sed auro uero splendidae diuinitatis, que tunc in eo splendere cepit per operationem uirtutum & gratiam sanitatum, ceteraque opera digitii dei spiritus sancti.

Esa. 51

Ecce agnus dei  
Iohan. 1  
Exo. 12

Ecce uox fa  
cio omnia

Apo. 21

**B**e eiusdem domus dedicatione, id est, resurrectione secundum Psalmum vice summorum, cuius est titulus, Psalmus David cantici in dedicatio-

nne domini David.

Caput XII.

D dedicatione domus iuxta propositum properat animus, id est, ad gloriam resurrectionis domini nostri Iesu Christi, qua sine dubio dedicatum est templum corporis eius, ita ut omni mortalitatis seu passibilitatis paupertate detersa, solennitas eterna, festiuitas semperiterna, in uoce exultantia & confessionis in ea cœlebretur ab angelis, celebretur ab hominibus quotquot sunt uel erunt filii resurrectionis. ¶ Hoc loco sensum & uerba nostra dirigit textus Psalmi uicesimoni, cui talis praescritus est titulus. Psalmus cantici, in dedicatione domus David. Primum autem in fundamento sermonis illud ponere liber, quia domus illa manufacta, quæ intypum huius ædificata fuit (ut supra diximus) sub tria benedictione nominis domini dedicata est, sicut habet manifeste ipsa scriptura series. Primo namque sic scriptum est: Conuertitque rex faciem suam & benedixit omni ecclesiæ Israhel & ait: Benedictus dominus deus Israhel, qui locutus est in ore suo ad David patrem meum, & in manibus eius perfecit, & cetera. Item secundo: Testit autem Salomon ante altare, domini in conspectu Ecclesiæ Israhel, & expandit manus suas in celum, & ait: Dñe deus Israhel, non est similis tui deus in celo desup, & sup terram.

Dedicatio do  
mus Christi i  
resurrectione  
eius celebra  
ta est.

3. Reg. 8

K 3 deorsum,